



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **De Primis Et Ultimis Temporibus, Seu De Principio Et Fine Mundi**

**Ulloa, Joannes de**

**Augustæ Vindellicorum [u.a.], 1719**

Caput 2. Tres hominum progenies ante diluvium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81404](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81404)

prædicandum imminens diluuium, benè intelligerentur; neque, familia proximoires illis Patriarchis intelligerent bene alios homines: Hoc experimur in eis regionibus, in quibus alii loquuntur purè, alii corruptè, v. g. Etruscus benè intelligitur in tota Italia, sed ipse non bene intelligit Calabros, Bononienses, aut Genuenses: Saxo benè intelligitur in tota Germania, at ipse non bene intelligit Tyrolenses, aut Westphalos: Castellanus benè intelligitur in tota Hispania, sed ægrè intelligit Gallæcos, Lusitanos & populos similes. Francus benè intelligitur in tota Gallia, sed ægrè capit Provinciales, ac Bearnenses &c.

## CAPUT II.

## Tres hominum progenies ante diluuium.

Gen. 5. 8.

XIX. Quamvis Adam multos alios habuit filios, & post Seth, ut dicit scriptura, & ante hunc, ut supra dixi, verumtamen omnes homines per totum orbem sparsi ante diluuium, dividebantur in duas primarias factiones, quæ initium dederunt famosis eis duabus civitatibus, alteri *DEI*, alteri *Diaboli*, nec non duabus illis vasorum speciebus, quas in ampla domo meminit Paulus; cæteri verò descendentes ex Adam per alios filios, adhærebant alii uni, alii alteri ex his duabus factionibus. Igitur una descendebat ex Adam, per Cain, & hæc erat linea primogenita, & homines hi propter suam nullam pietatem, vel magnam impietatem, vocabantur Filii hominum, vel potius *homines*, & huic forsan adhæsit maxima pars descendendum ex Adam per alios filios, imò & qui descendebant ex illo per Abel, quandoquidem omnes ad unum obruti sunt diluuium, ex quo liberata fuit sola familia Noë, qui non per Cain, nec per Abel descendebat ex Adam, sed per Seth: Quod autem Abel filios habuerit, benè suadetur per Salinum: Tum quia ultra centum annos vixit, saltem longum tempus, ut dicit scriptura, *R. P. Ulloa de Principio & Fine Mundi.*

ad Tim. 2.

ad Rom. 9.

Genes. 6.

factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terra; Abel quoque obtulit *Esca*. Abel autem tenebatur illa lege, in magna illa hominum penuria maxime urgente, *cre-scite, & multiplicamini*. Tum quia constat eum habuisse domum, peculium, & familiam, siquidem obtulit de primogenitis gregis sui: In quorum utilitatem pascebat, & habebat gregem suum nisi in utilitatem suæ familiæ: Tum quia, quod nonnulli Patres dicant, illum virginem fuisse, non multum probat, quia Paulus etiam dicit Melchisedech *sine Patre, sine Matre, sine genealogia*, non quia his caruerit sed quia de his nil scitur: Est autem vulgare in sacra doctrina, negare id, quod quamvis absolute, ac simpliciter sit, non tamen apparet, seu non constat esse, ut Decade 4. numero 22. ostendo: Tum quia fieri potuit, ut Abel vir probus, & innocens videns filios suos imitari improbos mores filiorum Cain, noluerit illos cognoscere, ut filios, juxta illud, *qui dixit Patri suo, Deut. 32. & Matri suæ. Nescio vos; & fratribus suis, ignoro vos: & nescierunt filios suos.* Propter has itaque rationes potuit Abel dici virgo, seu sine filiis.

Salian. anal. in Abel.

Gen. 4.

Ibidem.

Ad Hebr. 7.

Deut. 32.

Pever. lib. 8. in Gen. 22.

XX. Altera factio hominum illorum descendebat ex Adam per Seth: Hæc erat natu minor, & hujus lineæ homines ante connubia cum filiabus alterius factionis, vocantur juxta magis receptam sententiam apud Perer *fili DEI*, propter suam majorem pietatem, morumque integritatem, cujus non leve indicium est, quod capite antecedente notavi ex scriptura de Henoch, & Lamech, atque Noë; de prima enim familia solum scimus homicidia, bigamiam, & artes musicam, Pastoritiam, ferrariam, atque bellicam, nec non quod pulchras ediderit fœminas. Vocabantur autem nepotes Seth *fili DEI*, seu filii principum, & potentium, sive magnatum & præfidum, juxta varias versiones, quia notum est, hæbreos vocare *DEI* illa, quæ præcellunt in suo genere, ut *montes DEI*, hoc est altissimi,

mi, *cedri DEI*, hoc est robustissimæ: Fœminæ verò descendentes ex Cain potuerunt vocari *filia* hominum, id est plebeæ, quia homines illi ferociam, & timiditatem simul imitantes sui Patris Cain, plebei habebantur etiam inter se ipsos, & juxtâ rectam rationem: Quod autem familia natu minor, nobilitate, ac gloria præcederet natu majori, mirum non est: Nam etiam post diluuium familia Isaac erat nau minor, quam Ismaelis, familia Jacob, quàm Esau, familia Judæ, quam familia Ruben, Simeon, & Levi, familia Salomonis, quam familia aliorum filiorum Davidis, familia Ephraim quam familia Manasse, familia Phares, quam familia Sellæ filii senioris Judæ, & insuper ex scorto nata; & tamen omnes hæ familiae longè superarunt gloriâ, famâ, atquè nobilitate familias alteras, quas postui correlativas. Gratia enim & favor specialis DEI antepone-re solet, quæ natura postposuit.

XXI. Igitur sicut modo, quando totus mundus est habitatus, & gentibus plenus, omnes hæ sunt diuise in duas classes solum DEO notas, scilicet prædestinatorum, & reprobatorum, item in quinque notas hominum videlicet Christianorum, Hæbreorum, Turcharum, Idololatrarum, & Atheistarum, & gens ipsa Catholica diuisa est in Ecclesiasticos, & Laicos, quarum omnium classium homines per totam orbem dispersi invicem se discernunt. Ità contigisse videtur hominibus illis antediluvianis, qui in duas primarias dictas factiones diuisi, & per totum globum terraqueum sparsi, mutuo sese agnoscebant: Quia autem Caini soboles edebat fœminas pulchras, quibus lenocinium accedebat musicæ inter suos inventæ, nempe à Jubale: Hinc nata est ruina illius generis humani. Quoniam viri descendentes, & etiam degenerantes à Seth, venustate, atque specie illarum fœminarum seducti, miscuerunt se cum illis contra naturale præceptum non exponendi se periculo declinandi a semitis justi-

tia, quod periculum inerat sanè connubiis frequentibus cum fœminis expertibus cultus divini & evenit Salomoni, tamen sapiëntissimo, ut quondam religiosissimo ergà DEUM; *Videntes filii DEI filias hominum, quod essent pulchre &c.* & stultitia hac serpente ex aliis ad alios, intrâ breve tempus corruptio invasit totum orbem terrarum: *Omnis quippe caro corruerat viam suam:* Considera, si modo principes, proceres, & populi Christiani imò & Ecclesiastici ipsi, atquè Episcopi, passim inirent matrimonia cum fœminis paganis, & Mahumetanis, nequidquam reclamante Pontifice cum paucis aliis, intra quam breve tempus grassaretur hic error per totum orbem Christianum, & religio aboleretur, & integritas morum collabatur: Idem cum prop ortione contigit tunc, quando sacra & venerabilis gens oriunda ex Seth passim admixta fuit cum fœminis stirpis profanæ, atque maledictæ.

XXII. Ex his connubiis sceleratis, non verò ex commixtione propria, & formali Dæmonum in se ipsis cum fœminis, nata est, ut vulgò creditur, tertia alia progenies mixtorum, quos gigantes, seu *nephtim*, id est opprobriales, vocat scriptura (quamvis Augustinus, cui textus hæbreus, & græcus favent, contendit fuisse gigantes antè hanc etiam commixtionem) inquiens. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis; Postquam enim ingressi sunt Filii DEI ad filias hominum illeque genuerunt, isti sunt potentiores à seculo viri famosi:* Non dicit fuisse gigantes postquam ingressi sunt filii DEI ad filias hominum, sed præmittendo illos jam fuisse addit, quod postquam illi ad has ingressi sunt, gigantes evaserunt ad magnam potentiam, atquè nomen: Fortassis quia propter hanc consanguinitatem contractam cum familia Seth: Acquisierunt majus robur autoritatis apud vulgus, nec non majorem judicii, atque prudentiæ famam, his enim dotibus fulgebat familia Seth, utpotè familia filiorum DEI; Gigantes itaque illi

illi partim affines, partim consanguinei familiae Seth, facti sunt famosi ex corruptione optimae illius familiae. Postquam enim ingressi sunt filii DEI ad filias hominum &c. Sicut ex corruptione medullae humanae serpentes generari solent: & etiam quia prudentia, nobilitas, & iudicium Patrum admixta fuit cum ferocia Matrum quae omnes descendebant ex Cain. Tertiae hujus factionis homines dicuntur gigantes, id est filii terrae, quamvis oriundi ex filiis DEI (si verum est, quod non nisi post dicta scelerata connubia coeperunt esse) non solum propter immanem corporum proceritatem, verum etiam propter animam trucem, & quasi terrenam, id est propter superbiam, tyrannidem, atque immerisionem in rebus terrenis; unde mulctati glorioso nomine suorum Patrum, notati sunt ignominioso nomine Matrum, & vocati gigantes, hoc est *filii terrae*: Etenim filii matrizant, sicut filiae patrizare solent; Matres autem hujus tertiae sobolis hominum oriundae erant ex domo Cain, in qua homicidia, ferrum, Poligamia, musica, & bella exercebantur, ut supra nos docuit scriptura: In qua primum audita fuit superba illa responsio ad DEUM, inquirentem in patricidam *nescio; num custos fratris mei sum?* & contra quam primum inter humanas familias fuit vibrata maledictio divina: *Nunc igitur maledictus eris super terram, quid igitur mirum, quod progenies viperarum laethifera esset? mali enim corvi, malum ovum.*

XXIII. Nescio qua occulta naturae lege mixti illi, qui ex disparibus parentibus nascuntur, solent esse magis vivaces, magis fortes, magis audaces, magis truculenti, v.g. Leopardi ex leone, ac tygride orti, muli, qui ex specie equina, & asinina procedunt, dracones terrestres, qui ex colluvie spermaturum, & excrementorum vespertilionis in putrem, & humidam terram cadentium, generari solent; Unde Turcarum Rex, non ex suis turcis, sed ex mixtis illis, quos

genizaros vocant, robur componit suorum exercituum; sic de Ismaele, parentes valde dispares habente, praedictum fuit: *Erat ferosus homo manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum*: Sic Abimelech filius spurius Jeroboalis, cujus concubina, quam habebat in sicheem, genuit ei filium nomine *Abimelech*, adeo trucem, ac superbum animum habuit, ut de illo dicitur: *Occidit fratres suos filios Jeroboal septuaginta viros super lapidem unum*. Sic Goliath vir spurius de castris Philistinorum, ausus est provocare totum exercitum Haebreorum: *Stansque clamabat adversus phalanges Israel*, & sic superbissimus ille, & ferox Aman, qui totum populum Judaicum una die trucidare decreverat, mixtus fuit, atque ex disparibus ortus parentibus, si vera est conjectura, qua Serrarius conciliare conatur cap. 3. libri Esther, ubi Aman dicitur *de stirpe Agar* cum sexto decimo, ubi ab Artaxerfe dicitur *animus, & gente macedo*, sic magnus Alexander audax aequae, atque strenuus natus credebatur ex inaequalibus parentibus; sic elatus & intrepidus Absalon genitus fuit a Davide Judaeo & filia regis Gesur: Juste itaque ad vitandum forsitan haec monstra, indicta fuit haebreis illa lex. *Non ingreditur mamzer hoc est de scorto natus in ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem.*

XXIV. Fortasse tanta animositas in filius ex disparibus parentibus natis, provenit ex eo, quod parentes si semel ruant in extraneam, (& maxime si vetita sit) commixtionem, majore impetu, & ardore libidinis ruunt, necessario utriusque ad vincendum obicem disparitatis, & prohibitionis, & quia *nitimur in vetitum, semper cupimusque negatum*, hinc major impetus, & ardor cupidinis majorem, & vivacitatem exerit copiam sanguinis, & spirituum, cumque ex his formetur minimum naturale, seu materia primogenia filiorum & huic conformari soleat tota caro, & humorum complexio quae postea per nutritionem acquiruntur, ideo corpora illorum filiorum referta esse solent sanguine vivaciore,

cio, ac spiritibus acrioribus, & consequenter solent esse magis idonea ad qualitates dictas: & sicut infrunitus equus sessorē, ita solent rapere animū post se, & propter eandem rationem solent habere qualitates, quæ conducunt ad majorem solertiam, calliditatem, ingenium &c. Potest item causa esse, quod agnoscens hi mixti filii dedecus, quo claudicare solent altero parente, & se propterea minore pretio haberi ab aliis, irascuntur magis, & exardescunt accensi nobilitate parentis alterius, undē avidius conantur abolere, vel saltem celare notam illam strenuioribus actionibus, quæ interdum evadunt ob circumstantias magis facinorosa; sed in hac re non habemus regulam Metaphysicam: Multi enim ex æqualibus parentibus orti magno decore, & multi magno dedecore notati sunt & multi similiter ab inæqualibus procreati: Certē Phares ex scorto fuit natus, & tamen regia tribus Juda, & consequenter Jesus Christus, per illum descendit ex Jacob juxta Matthæum; & non per Sella fratrem suum legitimum, atque majorem: Ut ut res sunt, certum est, quod post commixtionem neporum Seth cum nepotibus Caini, homines illi fuerunt potentes à seculo viri famosi. Et nepotes illi Seth fecerunt, quod postea severissimè fuit prohibitum hæbreis: *nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, nè postquam ipse &c.* Atque illis fuit eadem origo ruinæ, ut videtur, quæ fuit Salotto-ni mulierum alienigenarum Amasio, undē depravatam est cor ejus per mulieres.

Gen. 38.

Exod. 34.

3. Reg. 11.

XXXV. Ob hæcaudiendi non sunt, qui docent: Gigantes illos originem traxisse ex commixtione Angelorum, quos putant vocari *filios DEI* hic, cum sceminis; Tum quia ut paulo antè dixi cum Augustino probabile est gigantes fuisse antè illam commixtionem: Certē scriptura non dicit illos cepisse esse postquam ingressi sunt filii DEI & filias hominum, sed post ingressum hunc fuisse illos potentes, atque famosos: Tum quia commixtio ista non potuit esse Angelorum qui

obedientes fuerunt, beatificati, atque in gratia confirmati, ut satis apparet. Non item illorum, qui apostatarunt; Tum quia licet Dæmones possint dici facti corporei post peccatum, & in pœnam peccati (in sensu tamen, quem explicui Disp. I. cap. 10.) quatenus, ut degeneres à nobilitate spiritus, coguntur gestare aliquod corpus sicut coguntur, & sicut furciferi olim cogebantur gestare furcam ex collo pendentem, & sicut lapsi in hæresim formalem externam coguntur in Hispania gestare infamem illam notam *sarbenito*: Item licet à depravato illorum intellectu, corruptissimaque voluntate non sit valdè alienum id, quod nonnullis hominibus contingit, nempe appetere cibos immundissimos, imo stercora, ipsa (undē damnati sunt Dæmones sub typo serpentis ad comedendum terra cunctis diebus suis) imò, & appetere concubitum cum specie valde dispere, & imperfectiore, v.g. cum Capra, cum Equa, cum Bove &c. quas species non minus superat perfectione species humana, quam hanc superant Angeli; Verum tamen fundamentum non habemus, ut dicamus rem ita defacto contigisse. Et non propter amorem carnalem, propriamque sensibilem delectationem, appetunt Dæmones succubi, aut incubi concubitum humanum, non enim habent corpus, quod ipsi vivificent, neque semen proprium, quod emittant; sed propter perditionem, deceptionem, atque damnationem miseræ illius personæ humanæ; cum qua miscentur carnaliter, semine, atque organis corporeis ementitis, aut aliundè quæsitis. Atqui concubitus illorum filiorum DEI cum filiabus hominum provenit ex ardore concupiscentiæ, & amore carnali illorum, ut satis innuit scriptura, iniquiens. *Videntes filii DEI filias hominum, quod essent pulchre, acceperunt sibi uxores &c.* Nam si hæc connubia originem traxissent ex sola cupidine perdendi homines, & illudendi illis, de materiali se haberet, quod illæ mulieres

heres essent pulchræ, siquidem perindè est Diabolo potiri muliere deformi, ac formosa; Ergò illi filii DEI non fuerunt ulli ex Angelis, sed nepotes Seth.

## CAPUT III.

*Mores, & Victus hominum illorum.*

XXVI. DICO I. Probabile est, quod in linea Caini aliqui fuerunt prædestinati, tamen plerique reprobis, & quod in linea Seth aliqui fuerint reprobis, tamen plerique forsitan prædestinati. Neutros tamen patrasse crimen idololatriæ est verisimile: Probo primam partem: Tum quia scimus, quod post diluuium ex Patribus improbis nati sunt filii probi, v. g. Abraham ex Thare, de quo dixit

*Josue 24. 2.*

*Josue 24. 2.* Josue toti populo *transfluum habitaverunt Patres vestri ab initio Thare, Patre Abraham, & Nachor; serueruntque Diis alienis* Ezechias ex Acas, Josias ex Amon; Et è converso scimus, quod ex Patribus sanctis nati sunt filii nequam, ut ex Abraham Ismael, ex Isaac Esau, ex Davide Amon, & Absolon, ex Ezechia Manasses: Vide alia, quæ profero exempla Decade 4. numero 132. Ergò quod altera ex eis duabus familiis dicatur filiorum DEI, & per bonos Patriarchas propagata, altera verò fuerit maledicta in suo primo parente Caino: *Maledictus eris super terram, & per malos Patriarchas propagata, non probat omnes penitus illius familiæ fuisse probos (imò ex illis, qui vocabantur filii DEI venit origo Diluuii) nec omnes penitus hujus fuisse improbos, consequenter non probat omnes illos fuisse prædestinatos, & omnes hos fuisse reprobos: Certè Lamech ille, qui fuit bigamus, & homicida, unus ex nepotibus erat Caini, & tamen proponi solet, ut exemplar penitentia: Audite vocem meam uxores Lamech &c. Tum quia licet DEUS ulcisci soleat peccatum parentum quoad temporalia usque ad tertiam, & quartam generationem, ut ipse minatur, ergo sum Dominus DEUS tuus fortis zelotes visitans iniquitatem Pa-*

*Geni 4. 11.*

*Geni 4. 23.*

*Geni 20. 5.*

*trum in filios in tertiam, & quartam generationem, atque, ut visitavit iniquitatem Saulis contra Gabaonitas, mittens illam famem tempore Davidis propter quam duo filii, & quinque nepotes Saulis crucifixi sunt in monte coram Domino, atque ut visitavit crimen Amalecitarum, qui restiterunt hæbræis ascendentibus de Ægypto, præcipiens Sauli, ut totam illorum progeniem deleteret; Recensui quæcumque fecit Amalech Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percutite Amalech &c. Atque ut visitavit in nepotibus Ezechia vanam hujus jactantiam qua ostendit legatis Babiloniis cunctos suos thesauros: Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua &c.*

*1. Reg. 21.*

*1. Reg. 15.*

*4. Reg. 20. 17.*

XXVII. Licet inquam quoad ad temporalia soleat DEUS punire filios, & nepotes propter scelera suorum majorum, sed non quoad spiritualia, excepto peccato originali, quia unicuique dat libertatem indifferentiæ, nec non auxilia, quibus adjuti, præventi, vocati, & confortati homines possunt rectè vivere; Et quia ab initio illuminat hominem venientem in hunc mundum: Et quia vult omnes homines salvos fieri: & quia non vult mortem morientis, & quia reddet unicuique juxta opera sua, & non juxta opera suorum progenitorum, & quia referet unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum, non verò aliena, quæque non ipse, sed parentes sui gesserunt; & demum quia id videtur docuisse Ezechiel hæbræos malè intelligentes minas illas Exodi paulò ante cicatas: *Quid est, quod inter vos parabolam vertitis in proverbium &c. Ut anima Patris ita & anima filii mea est, & reliqua, quæ ibi minutè explicat: Ergò, quod Patriarchæ familiæ Caini fuerint improbi, non probat omnes prorsus illius nepotes, viros, fæminas, pueros, puellas fuisse damnatos spatio 1656. annorum, & omnibus illis negasse DEUM semper auxilia efficacia, & hoc tamen omnes illi, qui actu habitabant hung-*

*Joann. 1.*

*1. ad Tim. 2.*

*Ezech. 18. 32*

*Psal. 61. 13*

*2. ad Cor. 5.*

*Ezech. 18. 23*

mun.